

1521 atque, ut damna sarcirentur, petitum. Principes militum fascinora partim detestari, partim excusare conati, captivos restitujiussere.

Helvetii tandem Ollio trajecto, hostium castris se adjunxerent, ingenti omnium admiratione, quod, qui nunquam invicem dimicare consueverant, pars Gallorum, pars Hispanorum stipendiis merentes infesta in se invicem signa ferrent. Verum non alia re, quam pecunia duci, ali, & contineri exercitus compertum est. Ceterum novo rei exemplo percussæ procurum mentes ad conciliandos animos bellicosissimæ nationis, armaque iisdem auspiciis connectenda nuntios utrinque mittunt, qui ad illos, quos Sedunensis Cardinalis in Italiam duxerat, profecti fuerant, in itinere deprehenduntur; qui ad Gallorum exercitum designati erant, mandata exequuntur: pessimo consilio, non absque infamiae nota, sub adversis signis ab eadem gente pugnari, civilia arma nunc primum acui, atque exerceri: quonam impetu, quo cœstro perciti furerent? fera corda mollirent, ab infausta militia discederent, in patriam redirent, neve partam a majoribus gloriam, neu florentem Rempublicam foeda contentione commacularent, ac miserrime distraherent. Hæc tantum apud eam gentem potuere, ut plerique Lautrechium auri, argenteaque inopia laborantem desererent, ac per summum dedecus prisco amicitiae jure, recentique Gallorum foedere posthabito, in patriam reverterentur. Hujuscemodi moribus vel loci natura, vel domestica disciplina ea gens imbuta est, ferocia, ingenti spiritu, bellica virtute, nostra, patrumque memoria illustris, sterili solo, montium angustiis, saxorum crepidinibus fere inaccessa. Ut pauca inter se, eaque potissimum religionis causa, bella exercuere; ita quamplurimas in Europa pugnas alienis stipendiis edidere, quibus Helvetio nomini ingentem gloriam, egregios titulos peperere: quæ eximia bellicæ virtutis decora (ut nil undequaque perfectum mortalibus natura concessit) inconstitæ, tumultus erga duces, ac parum sinceræ fidei notis non-nunquam aspersa fuere. Helvetiis dilabentibus, cum exercitus robur imminutum, ac fortunam trepidare Lautrechius inspicere, anxius animi, ac de rerum summa sollicitus, præsidio Cremonæ, & Pisleoni reliquo, castra ad Cassanum admovit,